

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jakob Heinrich Baleke

**Jacobi Henrici Baleke Jvr. Doctoris Atqve Prof. Pvbl. Ordinar. Rostochiensis
Commentato Juridica De Iuribus Ex Mutatione Domicilii Maxime Intuitu
Conjugum Resultantibus**

Rostochii: Wismariæ: Apvd Bergervm Et Boednervm, MDCCCLV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002510848>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1755
Baleke, Jac. Henr.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002510848/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002510848/phys_0002)

DFG





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002510848/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002510848/phys_0004)

DFG

15

JACOBI HENRICI BALEKE
JVR. DOCTORIS ATQVE PROF. PVBL. ORDINAR.
ROSTOCHIENSIS

59

COMMENTATIO JURIDICA
DE
I U R I B U S
EX MUTATIONE DOMICILII
MAXIME INTUITU CONJUGUM

RESULTANTIBUS.



Contra hanc commutationem fijg.
et Fr. Presenij per Colm. (Cas. Dic.
burgensis nunc Syntius fijg. Temeris)
de coniunctio bonorum ex-
ter coniuges legitima muta-
to domicilio non habita
Duisburgi 1777. A. j.



ROSTOCHII ET WISMARÆ,

APVD BERGERVM ET BOEDNERVM. MDCCCLV.

ЛОСОВИ НЕМРОД ВАГЕН
ЗАНИСКОВА СЛОВАРЬ ОДНОГО
СОВЕТСКОГО ПИСАТЕЛЯ
СОВЕТСКОГО ГУРДОДА
ДЛЯ
ЛЮБИМЦЕЙ ДОМНОГО
МАКЕИЧИВОГО СОЛНЦА
ЛЮБИМЦЕЙ

КІСІСОВІ ТІ МІСІІ

ЛЮДОМІ ДОЛЖНОСТІВ ІІІ МУЛІСІІВ СУДА



PROOEMIUM.



ropter religionem haud raro mutari domicilium, quotidiana docet experientia. Facta illa autem mutatione, suboritur in materia communionis bonorum, exsolutionis æris alieni, dispositionis testa-

mentariæ & successionis ab intestato infinitisque aliis, quæstio de effectibus ex illa resultantibus. Haud itaque alienum esse duxi, hoc tempore, quo *Jubileum Pacis Augustanae Religiosæ* adbuc celebratur, de juribus ex mutatione domicilii maxime intuitu Conjugum resultantibus differere. Constitueram hanc materiam dissertationibus aliquot pertractare. Inopia respondentium vero me ab

A 2

hoc.



hocce proposito desistere coëgit. Nec mirum, Respondentes deficere in nostra Academia, in qua Studiosi ad centurias tantum numerantur, cum ante aliquot tempus ex Academia Jenensi, ubi chiliades vivunt, tunc docens JCtus celebris huc allegaverit causam, quare per aliquot temporis intervallum nullas miserit dissertationes, in inopia Respondentium, verbis: *Man müsse sich die Respondenten fast erkaußen.* Rebus ita comparatis hanc disquisitionem per modum commentationis prelo subdidi. Constat illa ex tribus Sectionibus, quarum *prima* generalia de mutatione domicilii ejusque juribus præcipue respectu Conjugum sistet; *secunda* effectus inde resultantes sigillatim & succincte complectetur; *tertia*, modos, quibus effectus illi impedianter, comprehendet. Faxit Deus ter optimus terque maximus, ut hæc conamina in sui nominis gloriam tendant. Scrib. Rostochii die 27. Sept. MDCCLV.



SECT.

SECTIO I.
SISTENS
GENERALIA DE MUTATIONE
DOMICILII EJUSQUE JURIBUS MAXIME
INTUITU CONJUGUM.

§. I.

Domicilium, cuius etymologiam explanavit **FESTIN-GIVS** (a) vel in latiori vel strictiori sumi significatum notum est, quam quod notissimum. Priori in significatione quilibet habitatio dicitur domicilium (b), in posteriori vero solarerum possessio illud non inducit (c), sed duo cum primis requiruntur, primum animus, quod videlicet habitator eo animo sit, ut perpetuo ibi habere fixum & deliberatum habeat; secundo, ut ipso facto etiam domicilium inibi constituat, & in eo praecipuam fortunarum suarum substantiam collocet (d). In hoc strictiori sensu, de quo mihi in hac pertractatione sermo est, domicilium cum **LAVTERBACHIO** (e) definio, quod sit habitatio certo in loco animo perpetuo ibi consistendi instituta. Quoties igitur vel habitatio actualis vel voluntas sive intentio perpetuo ibi consistendi deficit, toties non est domicilium (f).

(a) in *Disput. de Domicilio Cap. I. §. 2.*

(b) *L. 2. §. 2. ff. de injur. L. 22. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.*

(c) *B. BOEHMER. Consult. et Decis. Tom. II. Conf. 874. nr. 3.*

(d) *WESENBECK. P. I. Consil. I. n. 57. ibidemque all. LL. et DD.*

(e) in *Differt. de Domicilio Cap. II. nr. 63.*

(f) *laud. LAVTERB. d. l. Cap. IV. nr. 49. ELIAS AVGST. STRYCK. in disp. de mutatione domicilii Cap. I. nr. 32.*

A 3

§. II.



§. II.

Esse varias domicilii divisiones, quas sigillatim exponere a scopo meo alienum, constat. Sufficit potius mihi hanc unicam adducere, quod dividatur in voluntarium, & necessarium (a). Hoc ponitur, quando aliquis ex necessitate hypothetica sibi domicilium constituere debet (b), qualis necessitas se se exserit respectu uxoris. Contracto enim matrimonio inter mārem & fēminam existit consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio (c), atque ex hac societate omnis vitæ hic quoque effectus resultat, ut domicilium uxori maritus communicet (d), sive uxor ex necessitate hypothetica sibi domicilium constituere debeat (e).

- (a) STRYCK. d. l. nr. 24. FESTING. cit. l. §. XVII. LÄTERBACH. alleg. l. Cap. III. nr. 72.
- (b) JOH. FLORENS RIVINVS in diff. de non præsumta domicilii mutatione §. V.
- (c) L. I. ff. de ritu nuptiarum.
- (d) FRIDER. EL. PUFENDORF. Observ. Juris Univ. Tom. II. Obs. CXXI. §. I. p. 461.
- (e) B. BOEHMER. in Introd. in Jus Digest. Tit. de Judiciis §. 21. RIVINVS d. l. §. VI. et VII.

§. III.

Qui domicilium in aliquo loco constituit, eo ipso etiam subjicitur illius loci magistratui ordinario (a). Ex quo principio sua sponte sequitur, locum domicilii regulariter forum competens reddere (b). Hinc quum domicilium uxori maritus communicet (§. II.) haud difficile est ad intelligendum, uxorem quoque forum mariti sortiri debere (c).

(a) FE-

(a) FESTING. d.l. Cap. IV. §. II. LAVTERBACH. d.l. Cap. VIII. nr. 208. KLOCK. Vol. III. consil. 147. nr. 215.

(b) de WERNHER. Sel. Observ. Forens. Tom. II. Obsf. CCCCLIII. FESTING. d.l. §. 4. COCEJVS in Disp. de fundata in territ. et plurib. loc. concurr. potest. Tit. 4. §. 2. p. 42.

(c) BESOLD. Consil. 237. nr. 21. PEREZ in Tit. Cod. de misceribus in quo loco §. 2. nr. 3.

§. IV.

Judicem in regula nullius alterius sed sui tantum fori leges sequi per se manifestum est, adeoque diffusori non indiget probatione (a). Inde ortum est axioma, forum alicubi sortiri & statutis loei ligari a pari procedunt (b). Ex quo prono omnino alveo fluit, illius magistratus, cuius jurisdictioni aliquis subjectus est, statuta & leges ipsum quoque obligare (c), nisi per conventiones & transactiones aliud fuerit specialiter cautum, quale intuitu nobilium Rostochii habitantium reputitur (d).

(a) VOLETIVS in Comment. ad ff. Tit. de judiciis nr. 51.

(b) MENOCH. Lib. II. præsumt. 2. nr. 5. COTHMANN. Vol. I. Consil. XXI. nr. 105. MEV. ad Jus Lubec. in quest. p. 6. nr. 24. et Lib. II. Tit. II. art 10. nr. 4. KLOCK. de Contribut. Cap. XII. nr. 92.

(c) B. BOEHMER. in disp. de indeole statut. Cap. II. §. XII. PVFEND. d.l. Tom. II. O. 27. nr. n. p. 16. de WESTPHAL. in diff. de indeole practica J. Lub. in civit. Meckl. §. VI. ENGAV in Elem. J. Germ. disp. proem. §. 10. p. 4. MEV. d.l. in quest. prælim. III. nr. I. Collect. nov. CONSIL. JVRID. TUBING. Vol. VI. C. IX. nr. 19. LAVTERBACH d.l. nr. 208. CARPZOV. Defin. Forens. P. III. C. 12. D. 16. add. Commentat. de statutis civitat. provinc. ex scitis



scitis LYNCKERIANIS edit. a GEORG. de WITZENDORE. 1704. p. 36. IUS MECKL. et LVREC. illustr. Cent. I. judic. XIV. et Cent. V. jud. 28. §. V.

- (d) vid. Der Landes-Grund-Gesetzlicher Erb-Vergleich de 1755. §. 433.

§. V.

Uxorem domicilium mariti ejusque forum sortiri ex iis, quæ §. II. & III. dicta sunt, patet. Quum itaque in præcedenti paragrapho probatum sit, quod ille, qui magistratus cuiusdam jurisdictioni subjicitur, quoque ejus statutis & legibus subjiciatur, omni dubio caret, uxorem subjici legibus domicilii, quod maritus habet, ex ejusque legibus ac statutis judicari debere (a).

- (a) PVFENDORF d.l. p. 461. LYNCKER. in Disp. de acquaſt. conjug. §. XV. LAUTERBACH in Diff. de ſocietate bonorum conjug. C. II. §. II. BOEHMER. Conf. et Decis. Tom. II. p. II. Conf. 877. nr. 12.

§. VI.

Bona sequuntur personam ejusque conditionem & qualitatem, ex eaque censeri & judicari debent (a). Ergo quum vi ſphi antecedentis uxor subjiciatur legibus & statutis domicilii, quod maritus fovet, haud obſcurum eſſe potest, jura & obligationes, quæ per matrimonium ratione bonorum inducuntur, dijudicanda eſſe secundum leges & statuta domicilii mariti (b).

- (a) COTHMANN d. l. nr. 148. ibique alleg. DD.

- (b) JOANN. MAVRIT. WEYER. Commentar. de Communione bonorum p. I. Thes. 6. p. 25. VOET. d. l. Tit. de ritu nupt. nr. 86. PVFEND. alleg. I. BOEHM. d. l. Conf. 866. nr. 4. §. 10 et II.

§. VII.

§. VII.

Suboritur quæstio, num illud, quod in spho antecedenti dictum est, ad omnia uxoris bona sive mobilia sive immobilia *ubicunque* sita pertingat & porrigitur? Negativam tueruntur COCEJUS (a), LEYSER (b), STRYCK (c), BERGER (d), LAUTERBACH (e) WEYER (f), MEVIUS (g), *pluresque alii in cit. CONS.* TUBING. (h) *allegati*, propterea quod bona immobilia jurisdictioni & potestati judicis rei sitæ sint subiecta & obnoxia, ideoque jura & obligationes circa illa nullo modo secundum jura & statuta domicilii sed secundum statuta rei sitæ sint dijudicanda. Affirmativam tenent DE NETTELEBLAD (i), G. L. BOEHMERUS (k), BUNEKAU (l) B. BOEHMERUS (m), VOETIUS (n), PVENDORF (o) quippe qui plures JCTOS consentientes allegavit, & sententiam hanc contra singula obmotata operose defendit. Ego quidem posteriori sententiae, nisi eo in loco, ubi sita bona sunt, statutum prohibitorium adsit, quod de bonis aliter disponi facultatem neget, adstipulor, præcipue cum, ut alias rationes taceam talia statuta non tam jura bonorum in alieno territorio sitorum quam potius jura & obligationes conjugum ratione illorum bonorum adeoque jura personarum maxime determinent ac proinde statutis realibus haud comprehendantur.

(a) *in cit. disp. tit. 8. §. 3.*

(b) *Specim. CCCCXXI. med. I.*

(c) *de Success. ab Intest. diff. I. C. 4. §. 2.*

(d) *in Oeconom. Jur. Lib. II. Tit. IV. §. 46. not. 6.*

B

(e) *Colleg.*



- (e) Colleg. Theoret. Practic. Pand. Tit. de Succe, jur. nov. §. 54.
- (f) d. l. Thes. V. nr. 4. p. 19 et seqq.
- (g) cit. l. in quest. prælim. VI. nr. 21. seqq.
- (h) Vol. IX. Consil. XCVI. nr. 36.
- (i) in diff. de portione conjugum statutaria C. V. §. 10. p. 123. W.
- (k) in disp. de jur. et obligat. conjug. superfl. ex commun. bonor. universi. §. 8. et 10
- (l) in diff. de Separatione liberor. ex jur. Germ. cum primis Lübec. §. I. in not. d.
- (m) d. l. nr. 5.
- (n) cit. l. Tit. de ritu nuptiarum nr. 58.
- (o) alleg. l. Tom. I. Obs. XXVIII.

§. VIII.

Libertati naturali adversatur illud, ut aliquis libertate domicilium mutandi destituatur et ad certum locum adstringatur. Quam in rem CICERO (a) censet. *Exilium terribile*, inquit, *est illis, quibus circumscriptus est locus habitandi*. Libera igitur in regula cuivis debet competere potestas domicilium pro lubitu mutandi, id quod non solum principia universalia juris gentium (b) sed etiam textus juris civilis (c) docent ac comprobant. Imo LAVTERBACH (d) hanc libertatem eo usque extendit, ut invitis territorii dominis & magistratibus facultas domicilii mutandi regulariter exerceri queat. Hæcce facultas quoque competit maritis, ita, ut invita licet uxore domicilium mutare queant, & uxor sequi debeat (e).

(a) In

(a) *in paradox.*(b) PUFEND. *in J. Nat. et Gent. L. VIII. C. II. §. 2.* GRO-TIVS *de J. Belli et Pacis L. II. C. V. §. 24.*(c) *L. 5. §. 3. et L. 12. §. 9. ff. de capt. et postlim. L. 21 et 31. ad*
municip. et L. 17. §. u. cod.(d) *in cit. disp. de dom. Cap. IX. nr. 213 seqq.*(e) GUTIERREZ *in Tr. de matrim. L. I. C. 23. nr. 16.* ABR.
a WESEL *de connub. societ. Tr. I. nr. 10. et seq. à SAN-*
DE decisi. Fries. L. II. T. 5. def. 10. cit. CONSL. TUBING.
Vol. VIII. C. 82. nr. 25.

§. IX.

Facultas domicilii mutandi marito competens tam libera esse censetur, ut pactum cum uxore initum de non mutando multi propterea nullum esse existiment, quod hujusmodi pactum partim libertati contrarium illamque infringat, cum tamen uxor maritali potestati subjecta sit & maneat, partim contra bonos mores impingat, & cum reverentia marito debita pugnet (a). Verum enim vero quum hujusmodi pactum sua natura nullam in se contineat turpitudinem moralem, neque legibus prohibitum reperiatur, nec reverentiam marito debitam tollat, omnino fidei humanæ convenit, ut, quæ inter Conjuges hac de re placuerunt, serventur. Tale igitur pactum jure meritoque est servandum & impedit, quo minus maritus invita uxore domicilium mutare queat (b).

(a) MEY. *d. l. Lib. I. Tit. 5. art. 10. nr. 66. et P. VI. Dec. 227.*
nr. 3. VOET. *d. l. Tit. de judic. nr. 107. et Tit. de pact.*
dotal. nr. 20. HEIGIVS *P. II. qu. 14. nr. 18.*



(b) RICHTER. *P. l. Dec. 9.* nr. 5. & seq. LYNCKER, *Vol. I.*
Resp. 93. nr. 10 et u. LAVTERBACH. *in d. disp. Cap. IX.*
nr. 227. seq. STRYCK *d. l. Cap. IV.* nr. 18. seq. *alioque in*
cit. CONSIL. TUBING *Vol. VIII.* *Conf. 82.* nr. 34. *alleg.*
DD.

§. X.

Marito itaque, nisi per pacta dotalia circumscriptus sit, juxta ac quibusvis aliis regulariter libera competit potestas domicilium mutandi. Sed quia mutatio est facti (a) & res in eodem statu, in quo feme fuit, manere presumitur, ideoque contra mutationem presumptio militat (b), haud difficile est intellectu, mutationem domicilii in dubio & regulariter non presumi (c). Presumptionis ea est indoles, ut contrarium non pro vero habetur nisi sit probatum (d). Hisce omnibus quam luctucentissime patescit, illi, qui contrarium afferit & in facta domicilii mutatione se fundat, probationem incurrere (e).

- (a) *L. 20. ff. ad municipal.*
- (b) MENOCH. *Lib. VI.* *praf. 25.* nr. 3.
- (c) *laud. RIVINVS in alleg. disp. de non presumpta domicilii mutatione GAIL L. II. Obs. 35.* nr. 7. FRANZ. var. *resol. L. I. ref. 16.* nr. 18. B. BOEHMER *d. l. Conf. 877.* nr. 28.
- (d) *prael. BOEHM. in disp. de collisione presumt. C. I. §. 10.*
- (e) MASCARD. *de probat. Concl. 334.* nr. 1. 2. LAVTERB. *in d. disp. de domicilio nr. 55. seqq. cit. CONSIL. TUBING. Vol. VII. C. 12.* nr. 19.

§. XI.

§. XI.

Domicilii mutatio, quæ vel voluntaria vel necessaria est (a), probatione igitur in dubio indiget. Quomodo vero isthæc probatio fieri debeat, est quæstio pluribus implicita difficultatibus. **V O E T I V S** (b) existimat, probandam esse domicilii mutationem iisdem fere modis, quibus & prima ejus constitutio probatur. Cui sententiæ quum subscribam, quæstio ex iis, quæ **Spho** primo commemoravi, decidenda erit. Requiritur ergo ad id, ut domicilium solvatur & finiatur, ut utrumque concurrat & voluntatis & habitationis mutatio (c). Posteriorius consistit in facto tali, quale in oculos incurrit & hinc facilis est probationis, sed prius nimirum animus prioris lares deserendi & sedem fortunarum alio loco constituendi difficilis est demonstratu. Nam ad hanc probationem non satis est, quod quis in alio loco habitet & commoretur, quippe cum partim notum sit, quod quis pluribus etiam in locis domicilium constituere possit (d), partim fieri queat, ut ex temporali saltem causa puta propter belli, morbi, pestis aliasque calamitatem, vel propter munus, quod sustinet, vel ob contractum quendam specialem aliasque circumstantias habitatio mutata & commoratio in alio loco facta fuerit, ex quibus vero prioris domicilii mutatio minime colligenda (e). Inde in relatoriis a Dicasterio provinciali in causa C. F. B. contra v. G. ad judicium imperiale cameræ anno 1743. die 23. Octobris missis hæc occurrunt verba: Ob nun zwar Appellant wegen der portionis statutarie sein grösstes refugium darin nimmt, daß Er nebst seiner Frauen mit dem Vorsatz um sein domicilium auf dem Lande zu verändern

B 3

nach



nach Rostock unter Lübschen Rechte gereiset sey, so kommt ihm democh solches Vorgeben nicht zu statten, indem er nicht ableugnen mögen, daß er deswegen um seine fränkliche Frau curiren zu lassen, sich mit ihr nach Rostock in einem frembden Hause begeben, woselbst diese nach einem kurzen Auffenthalt von einigen Wochen verschieden. Aus solchem des appellantis facto aber der animus mutandi domicilium nicht abzunehmen, indem die commoratio ad tempus an einem andern Orte keine Veränderung des domicilii zu Wege bringet. Animus itaque & intentio domicilium alio loco constitutendi potissimum probatione indiget, & cum ejus, quod in voluntate alterius consistit, difficilis sit probatio in subsidium præsumtiones & conjecturæ sunt admittendæ (f). De indole harum præsumptionum pluribus agere & exponere, quænam ad mutationem domicilii inducendam sufficient nec ne? partim ab instituto meo alienum, partim superfluum esse judico, præsertim cum *prælaudatus RIVINVS* (g), in hac materia explicanda specialiter operam navaverit.

- (a) STRYCK *in cit. disp. Cap. II. nr. 1.*
- (b) *d. l. Tit. de judicis nr. 99.*
- (c) LAVTERBACH *in d. disp. nr. 243. STRYCK d. l. Cap. I. nr. 68. RIVINVS cit. l. §. XXIV.*
- (d) L. 6. §. 2. ff. *ad municip. de BERGER d. l. L. 4. Tit. 4. th. i. not. 4. p. 938. WESENBEC. P. I. Conf. I. nr. 42.*
- (e) *cit. CONS. TVB. Vol. VIII. Conf. XIV. nr. 68.*
- (f) *alleg. CONS. TVB. Vol. VII. Conf. XII. nr. 22 seq. LAVTERBACH. d. l. nr. 107 seq. STRUV. in Exercit. ad ff. Tit. de Judic. nr. 32 seq.*
- (g) *in citat. disput.*

§. XII.

§. XII.

Mutato domicilio mutatur forum (a). Hinc cum forum sortiri & statutis ligari per ea, quæ §pho IV. allata sunt, a pari procedant, ideoque dubio careat, illum, qui forum non amplius fortitur, nec statutis loci ligari (b), haud obscurum esse potest, mutato domicilio mutantem novis subjici legibus & statutis ac quidem illis, quæ valent in foro novi domicilii, quod jam constituit (c). Mutato igitur domicilio legum & statutorum prioris domicilii nulla amplius in regula habenda est ratio, sed tunc ad leges & statuta novi domicilii respiciendum (d). Hisce omnibus fieri potest, ut mutato domicilio personæ secundum jura & statuta novi domicilii novam prorsus qualitatem induant (e), quamvis non negandum sit, per accidens quoque nimirum, si in foro novi domicilii eadem jura obtinent, quæ in priori valuerunt, fieri posse, ut mutato domicilio nulla jurium mutatio inducatur, quippe de quo casu vero mihi non est sermo.

- (a) RICHTER Conf. Tom. I. P. I. C. 31. nr. 52. VOET. d. I.
Tit. de Judic. nr. 99. STRYCK in d. disp. C. III. §. 59 et
C. V. nr. 2.
- (b) MEV. ad J. Lub. qu. præl. 3. nr. 41. CARPOV. L. III.
R. I. nr. 9. MYLER ab EHRENB. HYPARCHOL. C. 9.
nr. 5. ROLAND. a VALLE Tr. de doce qu. 15. nr. 4.
- (b) VOET. d. I. §. 101. RIVIN. alleg. I. §. XXX.
- (d) MEV. cit. I. L. II. T. II. art. X. nr. 3 et 4. VOET. d. I.
Quam in rem quoque censuit dicasterium provinciale,
cum in dictis relatoriis hæc occurrant verba. Es ist ein
seltsamer Einfall, wenn Appellant in einer Successions-Ver-
gessenheit, welche sich unter dem Civil-Rechte zugetragen,
nach



nach dem Rechte seines vormaligen Lübschen Domicilii gerichtet seyn will.

(e) Apud LAVTERBACHIVM in alleg. disp. Cap. IX. nr. 26 seq. hæc sunt verba: *Sicuti autem domicilio translate ipsi emigrantes in loco novi domicili cives esse incipiunt, ita etiam s̄epe secundum hujus loci jura et statuta novam qualitatem induunt. Tota enim personæ conditio et status regitur a legibus loci, quibus sese per domicilium subjicit. Hinc si quis 21 annis major ex foro Saxonico domicilium transstulisset in forum Wurtembergicum, quamvis ibi major fuerit, hic tamen esset minor et juribus minorum uti teneretur.*

§. XIII.

Hicce quoque contentit *Jus Lubecense*, quippe quod in Articulo X. Lib. II. Tit. II. hæc disponit: *Würde einig frembder Mann alhier in dieser Stadt (oder in eine andere Stadt, welche sich Lübschen Rechts gebraucht) kommen, und sich alldar sezen, und derselbe wäre seinen Kindern Erbschichtung zu thun schuldig, hätte er nun dieselbe nicht gethan, ehe und zuvor er in das Lübsche Recht gekommen, so muß er nach der Zeit theilen als Lübisches Recht ausweiset.* Jure igitur Lubecensi & in iis civitatibus, quæ hoc jure utuntur ea, quæ in Ȑpho præcedenti dicta & principiis juris communis superstructa sunt, eo minus in dubium vocari possunt. Quam in rem censet ME VIVS (a), verbis: *Absurdum ex statuto civitatis aliquem in alio loco judicari, qui non ibi sed in hoc civis sit, & prioris civitatis legibus penitus per emigrationem dimissumque extensus.* Nostro iure omnis dubitatio præscisa est per art. 10. tit. qui casum hunc decidit.

(a) in cit. Comit. L. II. T. II. Art. XII, nr. 4m.

§. XIV.

§. XIV.

Quibus præstructis pervenio ad effectus, qui ex domicilio mutato inter conjuges resultant. Sed antea adhuc quam me ad hos definiendos accingam, disquirenda erit quæstio præjudicialis, num prorsus aliqua jurium mutatio inde inter Conjuges inducatur? Est hæc quæstio DD. valde perplexa atque impedita sic prorsus, ut W E Y E R V S (a) his concludat verbis. *Sed exile judicium meum suspendo inter Jurisconsultissimos impar censor.* Possent hæc verba me imbecilitatis ac tenuitatis meæ haud immemorem quoque eo adducere, ut judicium meum suspenderem, sed cum in republica litteraria in ejusmodi causis cuivis libertas sentiendi competit, & hæc materia, hucusque a nemine peculiari commentatione illustrata, sed semper tantum per transennam pertractata sit, non immerito illam disquisitioni subjiciendam esse existimo & sententiam meam libere ac ingenue profiteri non dubito.

(a) *in cit. comment. P. I. Thes. 6. §. II.*

§. XV.

Quæstionem illam præjudicalem, quam in §pho antecedenti commemoravi, affirmandam esse, ex iis, quæ jam allata sunt, fluere judico. Constat enim, quod mutatio domicilio mutetur forum, & quod mutato foro mutentur jura & statuta, ita, ut non amplius ad leges prioris sed tantum posterioris domicilii sit respiciendum, ac secundum has qualitas & status personæ, cuius conditio-
nen per ea, quæ §pho VI. dicta, quoque sequuntur
C bona,



bona, dijudicandus (§. XII.) Quæ omnia per deducta principiis juris consentanea sunt, ideoque illis tamdiu erit infestendum, donec probatum fuerit, ratione conjugum in iure nostro occurrere exceptionem, vi cuius ipsorum jura in bonis suis, licet domicilium mutent & in alium locum, ubi a prioris domicilii jure diversum jus municipale vel commune obtinet, transferant, haud immutentur. Hæc exceptio vero quum nullibi inveniatur, nihil certius esse puto, quam hoc, ut intuitu conjugum mutato forte domicilio non ad leges & statuta prioris sed posterioris domicilii sit respiciendum. Consentient mecum B. BOEHMERVS (a), DE NETTEBLAD (b); MEVIVS (c), ZERRAN (d), FRANCISC. GOED. KROHN (e). Et eam in rem quoque die 17 Nov. 1753. responsum est a *Facultate nostra juridica* ad requisitionem mercatoris Rostoch. V. W. contra die Fr. v. B.

- (a) Tom. II. *Consul. et Decis.* P. II. *Conf.* 866. nr. 16.
- (b) *in cit. disp. de part. conjugum statut.* Cap. III. §. XVI. ubi sententia nostra contra objectiones brevibus defensa est.
- (c) *in Comm. ad J. Lub. Lib. II. Tit. II. art. 12.* nr. 401. et seq.
- (d) *in diff. de communione bonorum conjugali secundum Jus Lübec. considerata* Cap. II. §. VI. et Cap. VII. §. LIII.
- (e) *in Comment. de bonorum inter conjuges Hamburgenses communione*, §. 44. nr. 3.

§. XVI.

Ad justificandam sententiam, quæ mihi adversatur, ad varia provocatur argumenta. *Primo* dissentientes putant, quod conjuges in contrahendo id amplectantur, quod

quod statuit statutum loci, in quo matrimonium contrahunt, & consuetudo in contractum influat, pactio autem ante legitime inita solo migrationis facto non revocetur, non magis quam quævis aliæ conventiones nuda domiciliij translatione non mutentur (a). Confugunt secundo ad id, ut domiciliij mutatio nuspianum numeretur inter modos dissolvendæ vel introducendæ societatis (b). Quibus WEYERVS (c), quamvis judicium suum suspendat, tamen in negativam inclinans tertio addit, quod statutum secundi domiciliij non operetur irresistibiliter, sed contingenter, dum conjugibus quocunque libertatem & facultatem paclorum dotalium relinquit, num bona statuto subiicere, an ex eo eximere velint, quod forum præveniens faciat silere præventum; quod ex duabus causis celerior præoccupet, & mutatio voluntatis non præsumatur. Quæ vero omnes rationes, quamvis maximam veritatis speciem præ se ferre dicendæ sint, menon movere possunt, ut sententiam meam immutem, potius singula hæc obmota ad naturam suam examinare & diluere in sequentibus operam navabo.

(a) RODENBURG. de jur. quod oritur e statutorum diversitate, Tit. II. parte altera C. 4. nr. 3. HEESER de bon. et acquæst. conjug. comm. part. I. cap. I. nr. 25. LAMB. GORIS ad vers. jur. subcif. tract. I. cap. 7. - nr. 3.

(b) VOET. d. l. Tit. de ritu nupt. §. 87. ABR. a WESEL de connubiali bonor. societate tract. I. nr. 105. et seq. SANDE Dec. Frisic. L. II. T. 5. def. 10. LAVTERB. in disp. de societat. bon. conjug. Cap. II. §. XVII.

(c) d. l. p. 28.



§. XVII.

Quod ad primum dubium attinet, a) considerandum est, quod pactio illa initio matrimonii inita, quam adversarii urgent, fundetur consensu tacito. Si igitur verum est, quod nihil tam naturale sit, quam eodem genere quidvis dissolvi, quo fuit colligatum (a); sequitur, quod tacita renunciatio et declaratio ad illam mutandam sufficient. Hinc quum facti, quod consensus tacitus desiderat, vocabulum tam late accipiatur, ut et merum silentium cum scientia coniunctum adeoque etiam omissio alicujus facti pro facto habeatur, si-
cui contractus tacitus est conventio a lege vel scripta vel non scripta inter scientes et *dum non contradicunt* vere tacite tamen consentientes inducta producens *obligationem efficacem* (b) ideoque ex illo silentio et omissa contradictione non modo pactio accessoria sed et contractus principalis exsurgit (c), et conjuges sint scientes vel facile saltem scire valentes ac non nisi ignorantia supina nescientes statuta loci, in quo domicilium fovent (d), siveque fiat, ut muratio domicilii tacitam comprobationem legum et statutorum novi domicilii involvat, ex eaque tacita comprobatione statuta reliquorum locorum vires perdant (e); adparet, hoc obmotum sententiam nostram minime infringere, praincipue quum b) causa jurium, quae inter conjuges initio matrimonii inducta fuerunt, posita fuerit in domicilio, quod tunc obtinuit. Jam vero si domicilium illud prius, simul aliquis sedem suam reliquerit et a loco prioris domicilii decesserit animo et intentione illud deserendi, statim omnino extinctum ac finitum censemur (f). Ergo quia non potest

poteſt plus eſſe in effectu, quam in'cauſa (g): clarum eſſe iudico, quod extincto et ceſſante priori domicilio quoque jura conjugum, quae per leges et ſtatuta iſtius domiciliū inducta fuerunt, pro extinctis omnino habenda ſint (h).

- (a) L. 35. ff. de regulis iur.
- (b) ELIAS AVG. STRYCK in Diff. de contr. tacitis Cap. I. nr. 15. et nr. 42. seq.
- (c) VOET. d. I. §. 85. p. 52.
- (d) IDEM d. I. p. 54.
- (e) IDEM d. I. p. 53.
- (f) LAVTERB. in cit. Diſp. de domicilio C. IX. nr. 231. et 247. STRYCK in all. diſp. C. 5. nr. 2. add. DD. ad L. I. C. de incolis.
- (g) COCCEJ. d. I. Tit. VIII. §. 2. p. 82. 83. Jo. HERING. de Jure Burgorum C. 1. nr. 817. p. 130.
- (h) vid. das Allgemeine Juriftische Oraculum, Tom XI, p. 861. nr. I.

§. XVIII.

Progredior ad ſecundum obmotum, quod non mi-
nus facile refelli potest. Nam α) communio bonorum
conjugalis et inde resultans ſocietas eſt iure Romano inco-
gnita (a), ideoque fieri non potest, ut de illa in hoc ju-
re recepto aliquid inveniatur: β) ea, de quibus nihil
speciatim diſpoſitum reperitur, haud ſtatiſ rejici poſ-
ſunt, præfertim cum id, de quo in præfenti quæſtio
eſt, ex præſtructis juris principiis per demonſtrata fluat,
& ſufficere queat illud, ut in iure ſancitum ſit, quod ſi-
mul aliquis ſibi domicilium conſtituit legibus loci ſub-

C 3

jectus



jectus sit (b); ν) illud potissimum considerandum est, quod in statutis Germaniae, ex quibus materia communionis bonorum conjugalis et inde resultantes effectus explicandi (c), omnino talia inveniantur, ex quibus illud inferendum. Est nimurum indubitatum, quod separatio instituenda sit effectus communionis (d). Neces-sitas separationis vero per solam migrationem inducta in statutis reperitur, prouti ex articulo illo juris Lubecensis, quem Spho Xlll. exscripti, patescit. Constat itaque, talia statuta, qualia **VOETIVS, LAVTERBACHIVS** aliique **DD** plane desiderarunt, haud prorsus deficere.

- (a) **SAM. STRYCK** *Comment. de jure mariti in bonis uxoris* §. IV.
- (b) **VOETIVS** d. l. Tit. *de judiciis* §. 94. ibique alleg. LL. et DD.
- (c) **G. L. BOEHMERVS** *in cit. disp.* §. III.
- (d) **BVNEKAV** *in alleg. diff.* §. V. p. 15. *Consult. D. TADDEL* *in disp. sub prefdio CARMONIANO* *habita de abdicatione* *liberorum secundum principia J. Civ. Morum. Germ. et J. Lub.* *Sect. IV. §. II.*

§. XIX.

Quoad tertium dubium, hoc loco non disquirere volo, anne dentur statuta, quae operantur irresistibiliter, ita, ut excludant facultatem per pacta dotalia aliter disponendi? quippe cum de hac quæstione in sectione tercia pluribus agendum erit. Ast posito, quod statuta nunquam operentur irresistibiliter, an tunc sententia mea perfringitur? minime. Exinde enim nihil aliud sequitur, quam hoc, ut si conjuges per pacta dotalia juribus, quibus

quibus alias per novi domicilii constitutionem tacite subjiciuntur, derogare velint, illud fieri queat. Nulla vero ratione hoc ad praesentem quæstionem et evertendam meam sententiam applicari potest, et multo mintis in applicationem venire potest argumentum illud, ut forum præveniens faciat silere præventum. Nam, ut alias rationes taceam, hanc unicam ad istud perfringendum allegare satis erit, quod præventio præsupponat, quod utriusque foro adhuc competit jurisdiction, et hinc quum mutato domicilio in illo prioris domicilii loco omnes plane domicilii effectus cessent (a), patet, hoc obmotum WEYERIANVM, cum quo alterum, quod ex duabus causis celerior præoccupet, convenit, omni destitui applicatione. Et quod ad ultimum momentum, ad quod WEYERVS provocat, attinet, quod mutatio voluntatis non præsumatur, non nego, hanc præsumptionem in regula esse fundatam, sed cum sit generalis per speciales præsumptiones contrarias tollitur (b), et cum mutatio domicilii mutationem juriū secum conjunctam habeat (c), speciales illae præsumptiones Contrariæ, quibus generalis illa præsumptio tollatur, haud deficiunt.

(a) *conf. §. XII. XIII. et XVII.*

(b) B. BOEHMER. *in disp. de collisione præsumptionum Cap. II.*
§. XI.

(c) *vid. §§. ad Lit. a cit.*

XX.

Hisce ex omnibus adparet, sententiam meam, quod mutato domicilio ius conjugum in bonis ipsorum quoque mute-



mutetur, manere adhuc salvam atque inconvulsam. Obmota illa, quæ hactenus dilui, sunt marito et uxori communia. Sunt vero D. D., inter quos eminet *illustris PUFENDORF* (a), qui speciatim intuitu uxoris per mutationem domicilii nullam jurium mutationem induci existimant. Erit igitur quoque necesse hæc obmota, quæ uxori propria esse judicantur, sub examen revocare. Si ea omnia, quæ a *prælaudato PUFENDORFIO* pro stabilienda contraria sententia adferuntur conjungam, ad hæc redeunt, quod 1) leges non permittant, ut *invito* jus suum detrahatur, aut quod alterius est, ipsi *invito* auferatur (b), mulier vero in ea re voluntatem mariti invita sequi debeat, adeoque mutatio jurium facta ex mulieris voluntate non intelligatur, sicque jus, quod uxor semel habuit, per mutationem domicilii haud imminui ac auferri queat: cui argumento 2) hoc adjicit, quod minim dicendum sit, jus creditorum mutato forte domicilio deterius fieri et idem quoque esse applicandum ad jura uxoris.

(a) *d. l. Tom. II. Observ. CXXII. §. II. ibique alleg. DD.*

(b) *DE KLEIN in prefat. disput. de invito. nr. 3. in Volum. Disp. p. 243.*

§. XXI.

Primum argumentum quod concernit, nego, mutationem jurium invita uxore fieri. Etenim eo ipso, dum absque contradictione et reservatione jurium prioris domicilii domicilium cum marito mutat, tacite legibus et statutis prioris domicilii renunciat et statutis novi domicili se subjicit, prouti hæc omnia §pho XVII. pluribus deduxi

deduxi ac comprobavi. Tacitum vero consensum cum expresso tam in ineunda quam finienda communione bonorum eandem habere vim probat ZERRANIUS (a). Ergo haud obscurum est, cur hoc obmotum sententiam meam minime perfringat, quippe cum omissa ab uxore reservatione jurium prioris domicilii minime dicendum sit, quod invita ipsa mutatio jurium facta fuerit; etenim ubi adest consensus, ibi non locum habet notio invitii (b), et quamvis uxor postea dixerit, ipsam mutato domicilio talem animum et intentionem non habuisse, illud tamen tunc nihil efficere poterit, quippe cum propositum in mente retentum nil operetur (c). Corruit itaque dicta ratio a juribus invitii desumpta, et sic etiam ipsum hoc obmotum primum.

(a) *in alleg. Disp. §. V. et §. LII.*

(b) DE KLEIN *in cit. diss. Cap. I. nr. I. p. 246.*

(c) *L. 7. Cod. de condic̄t. ob causam jung. illustris MANTZELII disp. de proposito in mente retento.*

XXII.

Intuitu secundi obmoti a) notum est, quod in *L. 6. ff. de judic:* exprimatur: *Exigere mulier debet dotem illic, ubi maritus domicilium habuit.* Exactio dotis vero regulariter non prius habet locum, quam matrimonium fuerit finitum; ideoque restitutio non erit facienda in primo sed secundo seu ultimo domiciliio, quod tempore finiti matrimonii existit. Quoties itaque de uxor's jure quæsito ratione dotis exigendæ quæstio exsurgit, toties illa dijudicanda est secundum leges et statuta ultimi

D

domi-



domicilii (a); et (b) indubitatum est, uxorem juri quæsto renunciare posse. Hinc cum per anteriora liqueat, mutationem domicilii renunciationem jurium prioris domicilii secum ferre, hanc quoqne ob causam obmotum illud applicatione destituitur, præsertim cum hæc omnia securus se habeant cum creditoribus, de quorum iuribus et num illa mutato domicilio imminuta sint nec ne? in subsequenti altera sectione agendum erit.

(a) *M. v. in Comment. ad Jus Lubec. P. II. Tit. II. Art. XII.*
nr. 404.

§. XXIII.

Ad refutandam contrariam sententiam, quod jus uxoris mutato forte domicilio haud mutetur ac immuniatur aliud adhuc argumentum adducere possum. Fac enim, conjuges prole jam ditaros sese conferre ex civitate Rostochiensi, ubi communionem bonorum contraxerunt, alio, ubi nulla bonorum communio, sed jus civile vel diversum viget; fac porro, tempore mutati domicilii conjuges illos nullis debitis obæratos fuisse; fac vero, in novo domicilio, ubi jus civile viget, tantum æs alienum conflatum esse stante matrimonio, ut mariti bona ad exsolvenda debita haud sufficient, an uxor nunc ad hoc æs alienum in ultimo domicilio contractum ex bonis suis exsolvendum obligata est? Si thesis illa mihi contraria, quod uxor intuitu bonorum suorum simpli citer secundum jura prioris domicilii dijudicanda sit, pro fundamento ponenda, certe condemnanda esset, propterea quod secundum jura civitatis Rostochiensis, ex qua cum marito discessit, communicatio æris alieni, præfertim

fertim cum tempore mutati domicilii matrimonium jam prole ditatum fuerit, obtinuerit. Quis autem est, qui non arbitretur, a recta longe aberrare, qui illum in modum decideret? Verum si ita decisio non formanda, concedendum quoque erit, quod itidem jura uxoris mutato forte domicilio omnino mutari et imminui queant, contrariorum enim contraria est ratio (a): quam in rem quoque in casu illo, quem PUFENDORFIUS in allegata Observatione adduxit, in prima instantia fuit decisum.

(b) vid. eit. Collect. CONSIL. TUBING. Vol. II. Consil. 47.
nr. 27.

§. XXIV.

Perlustravi itaque etiam obmota PUFENDORFIANA uxori propria, et sententiam meam contra illa tanquam inconvulsam defendi, sed restant adhuc aliæ objections ratione uxoris. Illi enim, qui mihi adversantur urgent adhuc, quod 1) mulieres sint referendæ inter personas, quas ignorantia juris excusat (a), et 2) renunciatio non valeat nisi facta certioratione (b), ideoque, cum effectus mutationis domicilii potissimum fundentur tacita renunciatione jurium prioris domicilii, illi effectus quoque haud locum habere possint, nisi certioratio præcesserit. Secundum hæc principia mihi contraria quoque pronunciarunt Icti illi, qui conceperunt Responsum XV, quod extat in dem Allgemeinen Juristischen Oracle (c) ubi hæc sunt verba: Wenn gedachte Witwe mit einem Eyde erhalten würde, daß sie, nachdem sie in der March ihr Domicilium genommen, von solchem jure speciali Marchionico keine Wissenschaft gehabt, und also sothanen Märcischen Rechten

D 2

Rechten



Rechten zu renunciiren niemahls intendiret, so sey sie alsdann ad portionem statutariam billig zugulassen.

(a) RICHTER *Consil. Tom. I. Part 5. C. 14. nr. 4. f. 46.*

(b) Jo. SAM. STRYCK in *Disp. de certioratione jurium renunciandorum.*

(c) *Tom. XI. p. 50.*

§. XXV.

Quoad primam objectionem sciendum est, quod se-
xus intuitu juris ignorantia non in omnibus sed in casi-
bus tantum per Leges expressis excusationem præbeat,
et in cæteris, si majores sint, jure communi utantur, nec
ultra casus in legibus expressos illud extendendum sit,
id quod L. ult. *Cod. de jur. et fact. ignorant:* claris ver-
bis docet (a); et hoc principium ita obtinet, ut mulie-
res quoque in similibus non juventur (b). Inter casus
vero per Leges expressos, quos adduxit VOETIVS (c)
præfens haud invenitur, ideoque uxores propter addu-
ctam ignorantiam juris in hac materia non juvari po-
terunt, præcipue cum restitutio foeminarum quoque in
jure communi non fundata sit (d). Hinc quicquid dicatur
de privilegiis mulierum et pro iis militante æquitate non
juvari poterunt, nam ubi neclex nec consuetudo adest ibi
nec jus adest (e). Interim legatur DE KLEIN (f).

(a) confer. SCHILTER in *praxi Juris Romani Exc. 35. §. 31.*
LAVTERBACH in *Colleg. jur. Tit. de jur. & fact. ignor.*
§. 14. JOH. VOLCK. BECHMANN de *privileg. mulier.*
§. XLIV. VOET. d. l. de *jur. et fact. ignor.* nr. 3.

(b) Gy.

- (b) GUTIERREZ in *Ques. practic. civil. Lib. IV. Ques.*
LVIII. nr. 5.
- (c) alleg. loc.
- (d) JACOBI in *disp. de integrum restitutione mulierum C. II.*
 SCHAVMBVRG in *Compend. Jur. Dig. Tit. de Minor.*
in fin.
- (e) PÜTTER in *Elem. Jur. Germ. Prolegom. §. 46.*
- (f) in *disp. de innoxia mulierum ignorantia Cap. II. nr. 15. in*
Vol. disp. p. 899. et seq. sed confer, etiam MENOCH ibi
alleg.

§. XXVI.

Pervenio ad secundum dubium et salva quoque est res. Ignorantia enim juris non praesumitur nec prodest regulariter, prouti quoque de uxore in §pho antecedenti comprobavi, et personis, quibus jus ignorare non licet, renunciatio praejudicat et valida est, quamvis certioratio haud facta fuerit (a). Et cum MÜLLERVS d. l. mulieres inter personas referat, quibus jus ignorare licet, sive certiorationem respectu illarum necessariam esse statuat, ex §pho praecedenti repetendum est, illud praesuppositum non universaliter, nec in praesenti materia verum esse, ideoque necessitatem certiorationis quoque fundamento destitui. Patescit igitur, effectus ex mutatione domicilii resultantes locum habere, licet uxor haud fuerit certiorata.

- (a) CASPAR MATTHIAS MÜLLER in *Disp. de Renunciationibus Tb. X.*



§. XXVII.

Jam ad finem hujus sectionis primae progredior,
hoc unicum tantum adhuc addens, quod quum muta-
tio jurium cum mutatione domicilii conjuncta fluat
ex mutatione fori, haec vero etiam fieri possit, quam-
vis domicilium haud fuerit mutatum, ea omnia, quae
de effectibus, ex mutatione domicilii resultantibus,
adduxi et adhuc adducam, secundum vulgatam re-
gulam, ubi eadem est ratio, ibi quoque idem debet
obtinere rationatum, etiam tunc applicari queant, si
conjuges priori jurisdictioni ac foro *simpliciter* renun-
ciant, aliisque se subjiciunt, quamvis locus domicilii
haud mutatus fuerit.



SECT.



SECTIO II.

EXHIBENS SIGILLATIM,
EFFECTVS, EX MVTATIONE DO-
MICILII, MAXIME INTVITU CONJV-
GVM, RESVLTANTES.

§. XXVIII.

Inter effectus primarios, qui ex derelictione prioris
domicili in Conjuges redundare possunt, jure me-
ritoque primum locum obtinet hic, ut emigratio ex ci-
vitate, in qua jus communionis bonorum conjugalis ob-
servatur, illam tollat. Communio isthæc vel est legitima vel
paetitia (a). Illa se exserit, si lege vel consuetudine in-
troducta est: hæc vero conventione coëuntium perfici-
tur expressa, quando disertis verbis illam inter se con-
stituerunt (b). De priori mihi tantummodo est sermo,
si illam emigratione tolli assero. Ratio enim, cur illa inter
Conjuges obtinuerit, fuit posita in legibus vel consuetu-
dine prioris domicilii. Simul ac vero hoc finitum est, sta-
tim quoque in regula ejus effectus cessant (c). Ergo
etiam statuendum est, quod finito illo domicilio quoque
communio isthæc legitima tollatur, et placent verba
ZERRANII (d) Porro, inquit, factum, ex quo conclu-
ditur dissensus, est emigratio ex civitate, in qua jus Lu-
becense observatur. Quemadmodum advena per domici-
lium in tali civitate constitutum statutis loci subjicitur, ita
qui domicilium vicissim mutat, indeque bona sua exportat,
subjicitur juri, quod obtinet in loco, ad quem denuo perve-
nit. Eam in rem quoque scribit FRANCISC. GOE-
DEN. KROHNUS (e) Vivente, inquit, adhuc utroque
conju-



conjuge bonorum communio cessat ob domicilium alio translatum, siquidem statuta nostra, ex quibus vim et potestatem unice accipit, extra territorium baud obligant. Longe aliter vero decisio est formanda, sie de pactitia queritur. De hac enim verum est illud, quod dissentientes D. D. inter quos est CHRIST. GODOF. HOFFMANN. (f) *de effectibus initiae conventionis solo migrationis facto non tollendis urgent. Hujus enim ratio non posita est in legibus et statutis prioris domicilii. Hinc cefsat respectu pactitiae ratio, cur legitima per emigracionem tollatur, consequenter quoque rationatum; id quod pluribus explanavit B. BOEHMERUS* (g).

- (a) ENGAU. in Elem. I. Germ. Lib. i Tit. XVI. §. CCCLXXII. p. 206.
- (b) RICCIUS. in Spicileg. I. Germ. p. 533. et seq. WÜRTZIUS in disp. de bonis conjugum et illatis et durante matrimonio adquisitis §. XXVI. p. m. 30.
- (c) conf. §. XVII.
- (d) in alleg. disp. Cap. VII. quibus modis finiatur communio bonorum conjugalis §. LIII.
- (e) in Comment. de bonorum inter conjuges Hamburgenses communione §. 44. nr. 3.
- (f) in disp. de communionis bonorum conjugalis vera natura atque principiis §. III. in not. 9.
- (g) in Consult. et Decis. Tom. II. P. II. Conf. 866. nr. 16.

§. XXIX.

Communionis bonorum conjugalis consequens est aeris alieni communicatio (a). Exsurgit itaque quaestio, utrum quoque obligatio conjugis ad alterius debita exsolven-

solvenda per emigrationem tollatur? Creditoribus, qui in priori jam domicilio intuitu bonorum communium extiterunt, jus fuit quae situm in bona communia, quod ipsis per emigrationem non potest auferri; hinc uxor illis, licet mutato domicilio cum marito migraverit in provinciam, in qua bonorum communio non obtinet, manet obligata (b). Et cum W E Y E R U S (c) existimet, M E V I U M (d) aliter sentire, non possum non pace W E Y E R I ingenuo profiteri, quod meo quidem judicio M E V I O talis sententia adscripta sit, quae ipsi nunquam in mentem venit, nam nos in §pho XV. idem statuimus, quod M E V I U S d. l. scribit, nihilominus vero intuitu creditorum, qui ante emigrationem jam extiterunt, illam obligationem non tolli, sed inconvulsam manere pro certo pono. Involvit enim emigratio tacitam renunciationem communionis (e). Renunciatione vero creditorum petitiones non posse tolli ipse M E V I U S (f) recte statuit. Ergo eo minus talis sententia ipsi affingenda erit. Et quaenam paradoxa non exinde sequerentur? Omnes enim mulieres, si concursus intuitu mariti immineret vel procedente tempore ob jam conflatum aes alienum metuendus esset, possent tantummodo avolare in eum locum in quo nulla bonorum communio recepta. Longe aliter vero res se habet intuitu aeris alieni, quod in secundo domicilio demum conflatum, & de hoc M E V I V S d. l. est explicandus. Ad hujus enim exsolutionem tunc uxor non tenetur, quippe cum renunciatio, quam emigratio per deducta involvit, tollat communionem & sic quoque, quia ex illa tanquam causa proxima fluit, quod conjux conjugis aes alienum de bonis suis solvere

E

tenea-



teneatur (g), communicationem æris alieni tanquam effectum.

- (a) B. BOEHMER. *in disp. de communicatione æris alieni.*
- (b) ZERRAN d. l. Cap. VII. §. LIII. RODENBURG cit. l. tit. 4. part. 2. cap. I. nr. 8.
- (c) *in cit. Commentar. p. 29.*
- (d) *in Comm. ad J. Lub. Lib. II. Tit. II. art. 12. nr. 401.*
- (e) *vid. §. præced.*
- (f) d. l. Lib. I. Tit. V. art. VII. nr. 86.
- (g) conf. illustr. MANZELIVS!, *Affinis ac Collega meus astutus in disput. de vidua vel uxore Lubecensi per cessionem iulitorum sc̄ suaque futura bona salvante §. V.*

§. XXX.

Quid si vero maritus in priori domicilio tantum æs alienum conflarat, ut bona, quæ uxor tempore emigrationis habuit, ad illa debita exsolvenda non sufficerint, sed in secundo domicilio per hæreditatem, donationes aliosque modos aliquid ipsi obveniat, an bona hæc, quæ uxori postea obtigerunt, quoque ad Credidores, qui in priori domicilio jam extiterunt, satisfaciendos uxor impendere debet? Ego quidem illam negandam esse censeo. Nam obligatio solvendi æs alienum mariti non ex persona sed ex rebus communibus proficiscitur (a), bona vero illa, quæ post solutam communionem uxori obvenerunt, ad communia propterea non possunt referri, quod casset ipsa bonorum communio tanquam fundamentum bonorum communium. Ex quibus quam luculentissime sequitur, propositam

quæ-

quæstionem negative definiendam esse. Præterea notum est, quod communionis bonorum conjugalis renunciatio, cuius speciem involvit emigratio, illud operatur, ut, si conjux postea ad meliorem pervenerit fortunam sive hæreditate, sive donationibus, sive alio modo illud factum fuerit, ex illis Creditoribus solvere non teneatur (b). Nec objici poterit, quod a) uxori jure Lubecensi ductu verborum: Stirbet ein Mann, quæ in articulo X. Lib. III. Tit. I. occurunt, tantummodo in casu mortis mariti renunciatio communionis bonorum conjugalis competat, et b) illo jure requiratur, ut uxor non solum debeat esse curatore stipata, sed etiam bonis illis communibus se se abdicarit (c). Etenim quod primam concernit objectionem, nihil facit ad meam decisionem, num uxori istud beneficium superstite adhuc marito denegetur nec ne? quippe cum ille articulus præsupponat personas sub jure Lubecensi degentes; simul vero emigratio facta, statim leges prioris domicilii priorisque civitatis jura prouersus extinguntur (d), consequenter quoque ille articulus in hypothesi applicatione plane destituitur; et eadem quoque est refutatio objectionis a necessitate curatoris forsitan desumenda. Jure enim communi foeminæ non indigent curatore (e) et hinc emigratione facta necessitas curatoris tollitur; quare cum istud obmotum itidem personas statutis juris Lubecensis subjectas præsupponat, ad præsentem casum non poterit applicari, et ejus, quod in casu flebilis cessionis bonorum communium beneficii de necessitate abdicationis bonorum sanctum est, ratio in hoc posita est, quod communio bonorum,



licet morte conjugis certo respectu sublata sit, tamen, nisi factum contrarium existat, pro continuata habenda sit (f); hæc vero ratio cum in casu emigrationis cefset cessare quoque debet rationatum. De obmoto, quod futura etiam bona Creditoribus sint obnoxia, propterea nil adducam, quod illud jam refutatum est a *prælaudato MANZELIO* (g).

- (a) *Dn. STEIN* in der Abhandlung des Lübschen Rechts
Lib. I. Tit. V. §. 136. p. 186.
- (e) *IDEM d. l. nr. 3.* verbis: oder die Gemeinschaft aufrufe, sie, wenn sie ins fünftige etwas vor sich bringet, oder ihr Güter anfallen, oder geschenket werden, davon weiter zu bezahlen nicht gehalten ist.
- (c) *alleg. MANTZEL d. l. §. IX et X.*
- (d) *confer. §. XII. et XVII. iung. KNIPSCHILD de civitat imperii Lib. II. cap. XXIX. nr. 161.*
- (e) *vid. Dn. SCHAVMKEL in Disp. inaugur. sub præsidio MANTZELIANO hab. de foemina Mecklenburgica Cap. I. §. 1.*
- (f) *laud. STEIN d. l. in Schol. x.*
- (g) *in cit. disput. §. XII.*

§. XXXI.

Jure Lubecensi uxorem æs alienum mariti solvere non teneri nisi prole sit ditata constat (a). Suboritur itaque quæstio, num uxor, quæ tempore emigrationis sine liberis fuit, sed postea prole ditatur, ad debita illa, quæ in priori domicilio contracta fuerunt, ex solvenda tunc obligata sit, nec ne? *Jus Lubecense* (b) disponit,

disponit; Wann eine Frau mit ihren Manne, welcher in Schulden vertieffet, unbeerbet ist, mag sie ihren Brautschatz repetiren, freyen und aus den Gütern fordern. Wann sie aber noch in den Jahren ist, darin sie Kinder gebähren kan, so muss gemeldeter Brautschatz wiederum an gewisse Dörter belegt werden, und mag die Frau davon die jährliche Abnützung zu ihren Besten unverhindert gebrauchen. Ductu horum verborum foeminæ in conditione possibili de prole futura constitutæ facultatem renunciandi communioni bonorum conjugali qua bona semel communia facta denegatur (c), ideoque afferendum esse videtur, quod quæstio illa affirmanda sit. Verum enim vero cum illud, quod in hoc articulo dispositum reperitur, præsupponat, quod tempus concursus extiterit; consequenter si conjuges tempore concursus haud amplius sibi jure Lubecensi fuerunt, haud applicari poterit, præser-tim cum illa dispositio omnino dura censeatur (d); quare distinguendum esse judico, utrum tempore emigrationis concursus extiterit nec ne? in priorio casu illud, quod in prædicto Articulo statuitur, applicandum erit; in posteriori vero applicatione destituetur, et uxor haud tenebitur debita illa postea exsolvere, et eatenus affer-tio mea in §pho XXIX. limitanda est.

(a) *conf. Art. 5. 7 et u. Tit. 5. Lib. I. et Art. 12. Libr. III. Tit. I.*

(b) *Art. IX. Tit. V. Lib. I.*

(c) *Dn. STEIN d. l. §. 145. p. 205.*

(d) *MANTZEL d. l. §. 5.*



XXXII.

Quid si vero intermedio, dum uxor uterum gessit, emigratio facta, anne tunc obligatio ad debita in priori domicilio contracta statuenda est? Apud Romanos in valuerat axioma: ingenuus est, quicunque est natus e matre, quæ vel tempore conceptionis vel partus vel intermedio, dum uterum gessit, saltem per momentum libera fuit (a). Ast hoc ohtinuerat favore libertatis; ergo obligatio uxoris, si intermedio tantum sub jure Lubecensi fuit, ad solvenda debita mariti exinde haud propterea deduci poterit, quod jura singularia ultra casum expressum haud sint extentenda, et ad consequentias trahenda. Est igitur respiciendum ad alia argumenta, inter quæ ex jure Romano hoc referri posset, quod nasciturus habeatur pro nato; sed cum hoc axioma tantum valeat, si agitur, de favore istius (b), hoc itidem adhiberi non poterit. Forsan sunt, qui existimant, decisionem hujus quæstionis esse desumendam ex eo, quod dolus nemini patrocinari ac aliis non nocere debeat (c), ideoque cum talis emigratio cum dolo conjuncta sit, omnino uxor non obstante emigratione obligata judicanda sit. Ast *primo* possunt existere casus, ut emigratio ex aliis causis necessaria fuerit et fieri debuerit, quamvis uxor partum haud gessisset, quippe in quo casu illam argumentationem non applicari posse inficias iverit nemmo; *secundo* regeri potest, quod emigratio sit in jure licita (d) et qui in jure suo versatur nemini faciat injuriam, licet per consequentiam alter damnum inde sentiat (e) ideoque deficiat factum illicitum, quod necessario ad dolum malum requiritur (f). Et si quis objicere vellet

vellet, quod assertio illa de emigratione in jure licita sit limitanda *salvo jure quæsito tertii*; concedi potest illa limitatio salva responsione negativa, quippe cum jure Lubecensi Creditoribus intuitu uxoris prole non ditatæ ne species quidem juris quæsiti competit, nisi adsit tempus concursus (g); et si tanquam prole ditata condemnanda requiritur ipsa existentia actualis liberorum, prout id comprobant verba *articuli VII. Tit. V. Lib. I.* Hat er denn mit seinem Weibe Kinder: quippe quæ *in præsentis tempore* concepta sunt. Quid igitur statuendum? Ego quidem illam obligatam esse judico. Nam rationem, ut communio æris alieni inter conjuges existat, si matrimonium prole ditatum, nullam aliam esse, quam hanc, quod in illo casu de amore conjugali in communicacione corporum per concubitum facta consistente tanquam causa communionis bonorum et sic communionis æris alieni certo et publice constet, pluribus docuit et contra singula obmota defendit *celeberrimus DORN* (h). De hoc vero jam constat si titerum gerit, ideoque illam ad debita in priori domicilio contracta, si postea ex illa partus vivus nascitur, exsolvenda teneri puto

- (a) B. HEINECCIUS in *Elem. Jur. Civil. sec. ordin. Institut. Lib. I. Tit. IV. §. 90.*
- (b) WILDVOGEL, *de jure embrionum.*
- (c) L. 12. ff. *de dolo* L. 3. ff. *de Transact.* L. 69. ff. *de Rei Vind.*
et L. 7. *in pr. ff. de dolo.*
- (d) conf. §. VIII.
- (e) B. CARMON in *disp. de libero juris sui usit.*

(f) B.



(f) B. BOEHMER in *Introduct. in Jus Dig.* Tit. de dolo ma-
lo §. 2.

(g) vid. §. præced.

(h) in programm. de quæst. quanam sit ratio, ut communio æris
alieni inter Conjuges existat, si matrimonium prole datum,
nulla, si sit improle p. 15.

§. XXXIII.

Iisdem, ne dicam, majoribus difficultatibus est ob-
noxia quæstio in praxi haud raro obvia, num restricta
de bonis hæreditariis disponendi facultas, quæ multis
in locis obtinet, per emigrationem tollatur, ita, ut
emigrantes consequantur liberam de iis disponendi fa-
cilitatem? Tribuunt bona hæreditaria viam semel in-
gressa proximis hæredibus jus quoddam, quod ipsis
invitis aut ignorantibus non intervertendum (a). Ca-
sus, quem statuta Lubecensia excipiunt, dicitur die äuf-
serste eheliche Noth (c), quem commentatores ita expli-
cant si alienans non habeat, unde sese suosque sustentet,
ex captivitate redimat, eaque onera sustineat, ad quæ
necessitatis et natura eundem obligant, et alia avertenda aut
moliendæ necessitatis remedia non suppetant (c). Hinc
cum emigratio ægre ad hanc-classem referri queat, ne-
gativa sententia omnino præferenda esse videtur. Sed
articulus ille et reliqua omnia ejusmodi statuta præsup-
ponunt personas istis statutis obnoxias et subjectas.
Emigratione vero facta, cessat illa subjectio, et cessante
statutorum effectu cessabit quoque obligatio sive juris vin-
culum et exinde resultans actio (d), ideoque emigra-
tione

tione facta tolli restrictam qualitatem statuo (e); Non igitur tunc amplius est respiciendum ad casum necessitatis improvisæ ac inevitabilis, quippe cum obligatio istius statuti deficiat, et sic in casu quodam simili in civitate Lubecensi pronunciatum esse compertum habeo. Nec obmovendum mihi erit, quod jus creditorum tamen emigratione non tollatur et hæredes quasi creditores sint; Etenim jus Creditorum, si matrimonium prole ditatum, jam plenissime et omni ex parte quæsum est, sed jus hæredum demun per mortem plene convalidatur et ante illam per conflandum æs alienum, ineundas novas nuptias aliosve modos infringi potest, et si quis dolum emigrantium objicere vellet, iterum in applicationem veniret illud, quod in Spho antecedenti de libero juris sui usu adduxi.

- (a) LAVR. PETERS in *disp. de alienatione bonorum hæreditariorum Cap. II. §. III.*
- (b) *Art. VI. Lib. I. Tit. X. J. Lubec.*
- (c) MEVIVS in *alleg. Comment. ad artic. prædictum. nr. 113.*
PETERS d. l. §. 16. seq. add. Dn. STEIN cit. l. §. 70 seq.
- (d) MEVIVS d. l. quest. prælim. 4. nr. 30.
- (e) PETERS d. l. p. 58.

XXXIV.

Ast quamvis *prælaudatus* PETERS qualitatem restrictam bonorum hæreditariorum per emigrationem tolli statuat, tamen putat, quod jus hæredum salvum maneat, si tempestive emigrationem cognoverint et per

F

arre-



arrestum impediverint, quo minus bona alio transferantur. Ego vero hac in re illum haud sequor. Aut enim emigratio cum bonis solitis decimis licita est in jure, aut non: si prius ob liberum juris sui usum haeredes illud impedire non possunt: sive autem posterius, non esset necesse, ut bona arresto detinerentur, sed jus ipsorum salvum ac involsum maneret; quippe cum factum illicitum ius quoddam praebere haud possit. Ergo hanc cautelam haeredibus a Dno PETERS suppeditata rejicio. Ponamus vero, quod conjuges emigrantes in priori loco et sub jurisdictione prioris domicilii bona reliquerint, ant tunc in illis resticta alienandi facultas manet? Dn. PETERS hoc statuit in casu, si testamentum de iis condere velint. Ast quum etiam res illae mobiles, quae extra domicilium habentur, ad locum domicilii ejusque jura successionis aliaque se referant (a), ita, ut COCCEJUS (b) his utatur verbis: *MALE autem nonnulli exipiunt casum quo extra domicilium mobilia relicta fuerunt:* non dubito asserere, quod emigrantes de bonis mobilibus in priori domicilio relictis libera facultate tam inter vivos quam mortis causa disponendi gaudeant. Quoad immobilia sub priori jurisdictione adhuc sita me referto ad §. VII.

(a) RAVCHEAR I. qu. 17. nr. 34. add. §. VI.

(b) d. l. Tit. VIII. §. 6.

§. XXXV.

Fæminis jure quidem communi facultas testandi competit (a) sed non Lubecensi (b), sicuti quoque hoc con-

conjugibus interdicitur testamentum reciprocum condere (c). Non fert instituti mei ratio rationem hujus dispositionis disquirere, quippe cum in praesenti nihil referat, utrum illam, quam *Dn. STEIN* (d) an istam, quam adduxit *illustris ab ELEND* (e) sequar. In utroque enim casu facta emigratione cessabit ratio prohibitonis et sic quoque rationatum. Nullum igitur mihi superest dubium, quin conjuges per emigrationem consequantur facultatem testandi et testamenta reciproca condendi.

- (a) *L. 2. ff. qui testam. facere poss.*
- (b) *Artic. XIV. Lib. II. Tit. I.*
- (c) *Artic. X. Lib. II. Tit. I. jung. jus Hamburgense de quo specia-
liter agit. WOLPMANN in Disp. de Testamento reciproco
maxime secundum jura Hamburgensia.*
- (d) *d. l. P. II. §. 92. p. 123.*
- (e) *in Disp. de Testamento reciproco maxime secundum Jus Lube-
cense et Holsaticum.*

§. XXXVI.

Quid si conjuges sub iure Lubecensi viventes testamentum reciprocum condidissent, postea vero emigrarent, ita, ut tempore mortis sub iure communi fuerint, an tale testamentum tunc validum est nec ne? Testamentum quidem ex tempore mortis vires suas accipit, habilitatem tamen temporis conditi testamenti supponit (a), et regula Catoniana cavetur, ne, ne quæ dispositio ultima ab initio non valet, ex post facto convalescere queat (b). Tempore conditi testamenti autem illud non valuit.

luit. Ergo secundum hanc regulam, licet conjuges tempore mortis illud condendi facultatem habuerint, haud convalescere potest. Nec ex jure prætorio convalidari potest, quippe cum illo requiratur, ut aliquis tempore mortis et conditi testamenti facultatem testandi habuerit, medio autem tempore in talem statum devenerit, ut testandi facultas haud competierit (c). Sed quicquid sit, statuenduu esse arbitror, illud esse validum. Ratio enim cur foeminiis jure Lubecensi facultas testandi denegatur, a plurimis ponitur in defectu bonorum non hæreditariorum (d). Ergo testamentum ab initio vitiosum fuit ob præjudicium hæredum, quibus juxta statuta loci, ubi condebatur, jus circa bona testatricis competebat, regula Catoniana vero tantum valet, si testamentum vitiosum est ob inhabilitatem testatoris; si enim vitiosum fuit ob præjudicium alterius, cui jus circa bona testatoris competebat, cessante præjudicio removetut impedimentum testamenti et sic idem sustinetur (e). Hinc cum impedimentum restrictæ facultatis de bonis hæreditariis disponendi emigratione tollatur (f); patet testamentum reciprocum sub jure Lubecensi conditum sive ab initio vitiosum per emigrationem convalescere. Aliud vero dicendum esse videtur, si uxor quoque curatorem non adhibuisset, quippe cum tunc inhabilitas personæ testantis adfuerit, sive, licet emigraverit alio, ubi curatore non opus, tamen non convalesceret (g). De octo affibus vero et quatuor obulis, qui jure Lubecensi tanquam legitima proximis collateralibus relinquere debet (h) idem valere debet, quod de bonis hæreditariis commemoravi, sive tale testamentum, quod ab initio propter omissionem illam

illam legitimam invalidum fuit, per emigrationem con-
validari potest.

- (a) *L. 2. ff. qui testam. facere poss.*
- (b) *vid. Tot. Tit. ff. de regula Catoniana.*
- (c) *B. BOEHMER in Introducēt. in Jus Dig. Tit. de bonorum
possess. sec. Tabulas §. 4.*
- (d) *STEIN d. I. P. II. §. 9t.*
- (e) *STRYCK in Tract. de Cautelis Testamentorum Cap. III. §. XIX.*
- (f) *conf. §. XXXIII.*
- (g) *argum. L. si filius fam. 19. ff. qui testam. fac. possunt et arg.
§ præterea Instit. quibus non est permitt. test. fac.*
- (h) *D. BESELIN in disp. sub praesidio MANTZELIANO hab.
de Legitima Collateralium Juris Lubecensis.*

§. XXXVII.

Communionem bonorum esse regulariter fundamen-
tum portionis statutariæ inficias iverit nemo (a). Ex quo
consequens est, quod cum isthæc per emigrationem tol-
latur (b), portio quoqne statutaria facta emigratione ces-
set, præcipue cum in materia successionum semper re-
spiciendum sit ad tempus mortis, et ad illum locum ejus-
que leges, ubi matrimonium morte unius finitur, relata
videatur portio statutaria, prouti hæc omnia pluribus
docet ac comprobat *perillustris de NETTELBLADT* (c)

- (a) *laud. STEIN d. I. P. II. §. 263.*
- (b) *vid. §. XXVIII.*

F 3

(c) *in*



(c) in cit. disput. Cap. III. §. XVI. add. ea, que in not. d. ad
§. XII. adducta sunt.

§. XXXVIII.

Articulus ille juris Lubecensis, quem Spho XIII. adduxi, præbet occasionem questioni, num conjux superstes facta emigratione obligatus sit ad separationem cum liberis instituendam. Forsan aliquis per argumentum a contrario ex illo articulo insert, quod emigratione facta haud amplius ad separationem juris Lubecensis respiciendum sit. Sed isthac argumentatio propter evidenter diversitatem rationum haud locum habere potest. Emigratione enim juxta anteriora tollitur communio bonorum, et sic quoque illa, quam superstes cum liberis continuavit. Simul vero communio tollitur, conjux revertur ad separationem instituendam (a). Si igitur conjux superstes emigrat cum liberis, secundum jus Lubecense separationem instituere debet.

(a) BVNEKAV d. l.

§. XXXIX.

Matri secundum jus Commune non cōpetere usumfructum tralatitium est. Jure vero Lubecensi aliisque iuribus statutariis ipsis assignatur (a). Quæritur itaque, utrum emigratione facta matris superstitis ususfructus tollatur? Decisio facile ex anterioribus desumi potest. Ratio enim, cur usufructu gauisa, fuit posita in statutis et legibus prioris domicilii. Hinc cum per emigrationem

(a)

nem ejus jura extinguantur, adparet, emigratione facta usumfructum tolli. Quae assertio ab illis, qui cum H E I N E C C I O (b) rationem ususfructus materni in continuata bonorum communione ponunt, juxta ea, quæ Spho XXVIII. commemoravi, eo minus in dubium vocari potest.

- (a) *vid. disput. mea de Communione bonorum a Conjugi superstite cum libris continuata*
- (b) *in dissert. de usufructu materno.*

§. XL.

Secundum prædictum articulum Juris Lubecensis dubium est videtur, utrum conjux superstes, qui in priori domicilio communionem bonorum cum liberis continuavit, facta emigratione portionem statutariam adhuc prætendere queat? Ast cum portio statutaria videatur relata ad illum locum ejusque leges, ubi matrimonium morte unius finitur (a), ideoque mortuo conjuge superstes statim intuitu portionis statutariæ jus quæsitum consecutus, existimo, portionem statutariam superstiti manere salvam, licet antea emigraverit, quam separatio fuerit facta.

- (a) RICHTER *de Succ. ab Int. in proem. nr. 27.* RIVINVS
in cit. disp. §. 32. p. 34.

§. XLI.

Jure Communi superstes conjux proprietatem omnium omnino bonorum a defuncto relictorum statim amittit, simul ad secundas nuptias transferit (a), ita, ut illa bona



bona simpliciter ad liberos ex priori matrimonio procreatos iterum devolvi debeant, atque omnis dispositio de iis superstiti sit denegata (b). Jure vero Lubecensi et in locis, ubi communio bonorum viget, illud applicatio-ne destituitur (c). Exsurgit itaque quæstio, utrum con-jux superstes, qui sub jure Lubecensi fuit et portionem statutariam accepit, postea vero emigravit et in ultimo domicilio ad secunda vota transiit, de ea disponere queat? Ego quidem illam affirmandam esse propterea exi-stimo, quod sit delata sub jure Lubecensi et dispositio juris communis tantummodo ad ea applicari queat, quæ sub jure communi conjugibus obvenerunt (d).

(a) B. BOEHMER. *d. l. Tit. de ritu nuptiarum* §. 18.

(b) CONSULT. GRYPHISW. *Confil. XLV.*

(c) ALSEN in *Disp. de eo, quod justum est circa poenas secun-darum nuptiarum in Germania*

(d) IDEM *d. l.*

§. XLII.

Si conjux superstes communionem bonorum cum liberis continuat, ea, quæ conjugi superstiti per hæreditates donationes sive alios modos obveniunt, ad communione-m referre tenetur (a). Sed quid si emigratio fuerit facta ante tempus aditæ hæreditatis. Regulariter, cum a casibus ex-ceptis dicecerim, hæreditas non adita non transmittitur (b). Si consulto hæreditatem non adire sed antea emigrare voluerit, atque intenderit hoc modo hereditatem a communione-nis nexu eximere, illam nihilominus in communionem redi-

redigere debet. Est enim communio species societatis et ex ejus regulis salvis singularibus, explicanda. In hac vero renuncians, si res se ita habet, lucrum quamvis renunciaverit, in commune redigere et damnum solus ferre debet (c). Ergo vi hujus coniux quoque ad communicationem hereditatis in tali casu tenetur.

- (a) *confer. alleg. disp. mea*
- (b) *B. BOEHMER d. l. Tit. de acquirenda vel omittenda bareitate §. 22. et seq.*
- (c) *IDEM d. l. Tit. pro Socio §. 25 et 27.*

§. XLIII.

Paœta successoria conjuges jure Lubecensi non possunt valide inire nisi 1) de bonis acquisitis 2) proximis cognatis 8 fil. 4 pf. relinquantur et 3) intuitu uxoris curator adhibitus fuerit (a). Si igitur unum vel alterum horum requisitorum haud observatum fuit, invalida sunt. Ast haec invaliditas ratione requisiti primi et secundi ob ea, quæ spho XXXV. ex STRYCKIO adduxi, per emigrationem tollitur: quoad tertium requisitum, fuit quidem pactum successorum, si defecerit curator, quoque ab initio vitiosum, sed cum regula Catoniana ad contractus non spectet (b), et pacta successoria ad natum contractus potius quam ultimæ voluntatis referenda sint (c), itidem hanc invaliditatem per emigrationem tolli judico.

- (a) *vid. disputat. mea de pactis conjugum successoriis.*

G

(b) B.



- (b) B. BOEHMER in *Intro. in Jus Dig. Tit. de regula Cato-niana §. 2. in fine.*
 (c) *conf. alleg. disputat mea.*

§. XLIV.

In multis locis requiritur, ut testamenta in charta sigillata fuerint conscripta, sed quid si charta sigillata non adhibita esset, num vitiositas ex hoc defectu resul-tans emigratione tollitur? Est vulgata regula: Quo-ties de solennitate actus quæstio est, toties ad statuta illius loci est respiciendum, ubi actus est gestus (a). Hinc cum requisitum chartæ sigillatæ in nonnullis locis obvium ad solennitates referri debeat; patet, tale testa-mentum, licet emigratio postea facta, manere vitiosum ac invalidum.

- (a) STRYCK in *Tract. de Cautelis Testamentorum Cap. XV.*
§. XII.

§. XLV.

Perspectis effectibus potioribus, qui ex derelictio-ne prioris domicilii resultare possunt, pervenio ad illos qui ex constitutione novi domicilii, quæ cum mutatio-ne conjuncta, pendent, et inter hos primario est refe-rendus ille, quod migratio in civitatem, in qua statuta et leges communionem bonorum stabilunt, commu-nionem inducat. Definitionem hanc pluribus probare propterea superfluum esse judico, quod ea, quæ ad corroborandam illam spectant, jam in §pho XII & §pho XVIII,

XVIII. adducta sint. Sufficit itaque mihi hisce adjicere verba, quæ sunt apud ZERRANIVM (a). *Tacita*, inquit, *consensus declaratio etiam extendenda est ad conjuges, qui nuptiis jam celebratis Lubecam veniunt ibidem commorandi causa.* Nam quibus placet incolere urbem, illicis non displiceat adigi ad jura civitatis. Idem, licet in aliis insigniter a nobis dissentiat, statuit BVRGVNDIVS (b).

(a) *in cit. disput. Cap. II. §. VI.*

(b) *ad consuetud. Flandr. tr. 2 nr. 14. circa finem.*

§. XLVI.

Ex communione bonorum tanquam causa proxima fluere communicationem æris alieni inter conjuges constat. Hinc cum illa per migrationem in civitatem, ubi communio bonorum connubialis viget, inducatur, et posita causa ponendus quoque sit effectus; facile definenda est quæstio, num uxor, si matrimonium inivit domiciliumque habuit in provincia communionem bonorum respuente, ibique maritus æs alienum conflavit, deinde cum marito lares transtulit in territorium communionem bonorum agnoscens, et demum creditores ab ipsa solutionem æris alieni flagitant, poterit jure secundi domicilii ad exsolutionem æris alieni tam in priori quam posteriori domicilio a marito contracti compelli? Distinguendum enim est, num communio bonorum in secundo domicilio contracta, sit universalis nec ne? In priori casu quum obligatio conjugis ad æs alienum

G 2

alte-



alterius exsolvendum sese quoque extendat ad illud, quod ante initam bonorum communionem fuit contractum, prout est de jure Lubecensi (a), affirmanda erit: in posteriori autem obligatio isthac ad debita ante constitutionem ultimi domicilii contracta haud pertingere potest. Prius quidem multis, inter quos est RODEN-BVRG (b), paradoxum esse videtur, existimantibus, obligationem, quae ab initio non constitit, tractu temporis et sola domicilii translatione convalescere, sive que acquire creditori actionem, quam prius non habuisset. Sed quis est, qui non perspiciat, haec omnia profluxisse ex principio illo a RODENBVRGIO aliisque DD. defenso, quod domicilii mutatio nullam novam obligationem, nec alia jura inducere queat. Cujus vero presuppositi falsitatem in antecedentibus satis superque demonstravi, ideoque ulteriori refutatione non opus erit. Interim ad paradoxum illud RODENBVRGIANVM, acquiri creditori actionem, quam prius non habuisset, magis adhuc explanandum et diluendum hoc unicum adjicere satis erit, quod uxor, quae cum marito vi legum et statutorum communionem bonorum universalem fovet, etiam debita ante matrimonium contracta solvere debeat, siveque creditoribus mariti actio acquiratur, quam prius non habuissent. Illud itaque, quod creditori actio acquiratur, quam prius non habuisset, nullo modo paradoxum reputari potest.

(a) GORIS de societate conjugali Cap. IV. nr. 3. ENGELPRECHT
in Disquisit. de mutuo conjugum concursu ad solvendum as-
sociatum ab alterutro. ante nuptias conflatum §. XVI. laud.
STEIN

STEIN d. l. P. I. §. 123. nr. d. COCEJVS in Disc.
ad Lib. II. Tit. II. Jur. Lub. cap. III. p. 651.

(b) in cit. Tract. de statut. diversitat. Tit. 4. part. 2. Cap. I.
nr. 10.

§. XLVII.

Uxorem ad mariti debita ex bonis suis exsolvenda jure Lubecensi haud teneri, nisi prole sit ditata, constat ex §. XXXI. Suboritur itaque quæstio in foro jam ventilata, num uxor, quæ prole jam ditata in civitatem, quæ jure Lubecensi utitur, cum marito migravit, et postea in hoc secundo dōmicio nullos amplius liberos procreavit, ad exsolutionem æris alieni a marito contracti obligata sit nec ne? Ego quidem illam obligatam esse censeo. Ratio enim, ut communio æris alieni inter Conjuges existet, si matrmonium prole ditatum, adest quoque in illo casu, quem commemoravi, prouti etiam affirmative responsum est a *Facultate nostra juridica* in casu supra jam allegato. Et quid opus est pluribus argumentationibus ex rationis identitate desumtis? Ipsi textus juris Lebicensis haud obscure hanc sententiam confirmant. Respicitur enim in textibus tantummodo ad id, num tempore concursus liberi existant? Provocare possum ad *Articulum VII. Lib. I. Tit. V.*, in quo occurunt verba. Wird ein Mann wegen Schulden flüchtig, hat Er den mit seinem Weibe Kinder, so soll dieselbe bezahlet werden von ihr benderseits Gute. Concordat quoque artic. 5. d. l. Haud itaque in textibus distinguitur, num sub jure Lubecensi liberos illos procreaverint nec ne? sed ad id unice respicitur, utrum tempore concursis liberi

G 3

exi-



existant? Lege vero non distingueente nec nostrum est
distinguere,

§. XLVIII.

Ex propositione illa, quam in *Spho XII.* probavi, quod mutato domicilio ad leges et statuta novi domicilii respiciendam sit, porro sequitur, quod illi, qui sub jure Lubecensi domicilium secundum constituunt, amittant facultatem de bonis hæreditariis libere disponendi. Nec distinguendum erit, utrum in secundo an primo domicilio per hæreditatem delata fuerint. In utroque enim casu destituuntur libera de iis dispositione: id quod patescit ex argumento *art. 10. Lib. II. Tit. II. vi* eius separatio cum liberis secundum jus Lubecense instituenda est, licet defunctus cum superstite alio in loco antea commoratus fuerit. Fluit quoque hæc mea assertio per argumentum a contrario ex iis, quæ *Spho XXXIII.* deduxi.

§. XLIX.

Ex paragrapho præcedenti quoque haud obscurum est, cur tunc mulier non queat amplius testari, nec conjuges testamentum reciprocum condendi facultate gaudeant? Sed quid si conjuges initio matrimonii sub jure communis contracti testamentum reciprocum condidissent tempore mortis vero sub jure Lubecensi domicilium habuissent, num dispositio illa maneret salva ac inconclusa? Posset pro sententia affirmativa illud adduci, quod in allegato *Artic. 10. Lib. II. Tit. 2.* occurrant verba: *hätte*

hätte er nun dieselbe nicht gethan, ehe und zuvor er in das
 Lübsche Recht kommen, so muß er nach der Zeit ic. ex quibus
 verbis patescit, quod conjux si antea, quam sub jure Lu-
 becensi domicilium constituit, ratione liberorum obser-
 vanda observasset, non teneretur secundum jus Lubecen-
 se divisionem instituere, sed antea facta subsistere deberet;
 sicque afferendum etiam esse videtur, quod dispositio ul-
 tima sive pactum successorum sive testamentum mulie-
 ris antea conditum, quam sub jure Lubecensi domicili-
 um fuerit constitutum, manere debeat validum, quam-
 vis conjuges postea per ultimi domicilii constitutionem
 juri Lubecensi fuerint subjecti. Ast insignis datur diver-
 sitas rationum. Separatio semel legitime facta nihil am-
 plius ad validitatem requirit, nec desiderat comple-
 mentum in secundo domicilio; e contrario in casu suc-
 cessionis testamentariæ est respiciendum ad tempus mor-
 tis ideoque a validitate separationis antea legitime factæ
 ad hanc non valet consequentia. Verum aliud de pacto
 successorio in priori domicilio inito et donatione inter
 vivos in casum mortis exequenda, quippe quæ statim
 valet (a) esse afferendum per se patet et ex iis, quæ in
 fine §phi XXVIII. adduxi, prono omnino alveo fluit:

(a) STRYK de Caut. Contract. Sect. 3, C. 9, §. 10.

§. L.

Consequitur itidem ex principiis præstructis, quod
 uxor, quæ in priori domicilo nullo indiguit curatore,
 statim illo opus habeat, simul sub jure Lubecensi domici-
 lium fixerit. Interim actus illi, qui ante constitutionem
 hujus



hujus novi domicilii in priori absque curatore facti fuerunt, manent validi ac inconclusi (a).

(a) *argum. art. io. d. l.*

§. L1.

Portio statutaria fluit ex communione bonorum conjugali. Hinc quum haec per migrationem in aliam civitatem induci queat (a), nullum quoque superesse potest dubium, quin illa obtinere debeat. Audiatur *per illustris de NETTELBLADT* (b). *De advenis*, inquit, qui novam in civitatibus juris Lubecensis sedem figere constituerunt, clare disponitur in art. 10. Lib. II. Tit. 2, illos ad divisionem ex praescripto juris Lubecensis teneri, nisi vel in priori domicilio jam facta sit, vel ibidem coram senatu et judice de divisione cautum fuerit; ut adeo quod illi lucrum nostrum statutarium percipere queant, non est, quod dubitemus.

(a) *confer. §. XLIV.*

(b) *in alleg. disp. Cap. IV. de personis, quibus portio statutaria debetur* §. X.

§. LII.

Quid si maritus uxori tempore initi matrimonii in casum mortis lucrum quoddam adscriperit, tempore mortis vero sub Lubecensi vel alio jure, quod superstiti portionem statutariam attribuit, fuerit, num tunc uxor praeter portionem statutariam lucrum illud initio matrimonii adscriptum prætendere potest? Est enim notum, quod lucrum dotis in pactis dotalibus concessum portionem

nem

nem statutariam non excludat (a); sive videtur esse apertum, quod uxor in illo casu tam lucrum concessum quam portionem statutariam accipere debeat. Sed antecedens presupponit, quod conjuges tempore adscripti lucri in tali loco jam fuerint, ubi portio statutaria obtinet. Ergo ad hunc casum haud applicari poterit, præsertim cum præsumtio adsit, maritum uxori illud concessisse, quia alias per successionem ab intestato nihil accepisset, et in omni pacto subintelligatur clausula rebus sic stantibus (b). Ast, quum ea, quæ in alicujus favorem facta sunt, in ipsius odium haud detorqueri debeant, et in dubio statueendum sit, quod maritus lucrum illud unice in favorem uxoris constituerit, afferendum esse puto, quod ab uxor's arbitrio in hoc casu dependeat, utrum juxta pacta dotalia lucrum concessum accipere, an portionem statutariam præferre velit? nisi singulares circumstantiae et clausulæ pactorum dotalium aliud inferant.

(a) GASSER in *disp. de lucro dotis.*

(b) COCEJUS in *dissert. de clausula rebus sic stantibus.*

§. LIII.

Si coniux superstes cum Liberi e loco juris communis in locum juris Lubecensis migrat, nulla inter illos inducitur communio bonorum, nullaque communicatio æris alieni. Nam ratio, cur intuitu conjugum aliorumque mutatio domicilio mutatio jurium contingat, est posita in eo, quod ille, qui in loco quodam domicilium figit, eo ipso se obliget ad statuta istius loci servanda. Liberi vero regulariter haud se possunt obligare, ideoque cum communio insigne præjudicium secum con-

H

jun.



junctum habeat, cessat ratio et hinc quoque rationatum. Singularis et exorbitans igitur est dispositio *Juris Lubecensis Lib. II. Tit. 2. art. X.*, qui speciali indiget commentatio et de cuius diversa explicazione evolvi possunt **M**EVIVS (a) et **D. S**TEIN (b), quamvis ego neutri simpliciter subscribam.

(a) *in comment. ad J. Lub. ad d. artic.*

(b) *in der Einleitung zur Lubischen Rechtsgelehrsamkeit p. 250. sub nr. 2. et in Schol. X.*

§. LIV.

Quæritur denique, num conjux superstes, qui cum Liberis in locum juris Lubecensis migravit, per transitum ad secundas nuptias quoque amittat proprietatem rerum a defuncto relictarum? Evidem in locis, ubi communio bonorum conjugalis viget, illa poena secundarum nuptiarum cessat, sed ratio, cur cessaat, est posita in præcedenti communione bonorum (a), hæc vero in præsenti casu non adfuit, ex eaque res a defuncto relictas non accepit. Ergo ratione hereditatum eorumque omnium, quæ sub jure communi ad superstitem pervenerunt, manet dispositio juris communis salva, licet in civitatem, quæ jure Lubecensi utitur, migraverit.

(a) *vid. ALSEN d. l.*

§. LV.

Consideravi haec tenus effectus inde resultantes. Sunt illi ex parte duri summoque cum præjudicio conjunctio. Exsurgit itaque quaestio, anne dentur media, quibus illi tolli ac impediri queant? De hisce igitur jam mihi brevibus adhuc agendum erit.

SECT.

SECTIO III.
DE MODIS, QVIBVS EFFECTVS
ILLI IMPEDIVNTVR.

§. LVI.

Qui legitime protestatur non renunciat juri suo, sed id potius conservat (a). Ergo si alter conjugum imminentे mutatione domicilii contra mutationem jurium legitime protestatur, conservantur jura prioris domicilii, et tunc intuitu conjugum ad jura posterioris domicilii *eatenus* haud est respiciendum.

(a) *Mev. P. IX. Dec. 193. nr. 8.*

§. LVII.

Adhibui in paragrapho praecedenti particulam *eatenus* et hoc quidem jure optimo, siquidem thesis illa, ad quam respicit, limitibus circumscribenda est, quatenus nimirum leges et statuta novi domicilii renunciationem jurium admittunt. Regulariter quidem statutis per pacta renunciari potest, prout in *Jure Hamburgensi* (a) expresse statutum est. Sed hoc tantum intelligendum est de capitibus, quae ipsos conjuges v. c. intuitu successionis concernunt (b). Longe aliter sepe res habet intuitu quaestioneis, num pactum communionis bonorum exclusivum ratione creditorum simpliciter valeat, Sunt quidem multi, qui hanc quoque renuncia-

H 2

tionem



tionem validam esse iudicant (c), sed ego ad stipulor iis, qui jure Lubecensi illud negant (d) et provoco ad rationes a laud. VOGT IO d. l. prolatas. Consentit quoque allegatus KROHN (e). Nec, inquit, *credidores eorum communes obstringuntur, nisi publicata fuerit renuntiatio vel reservatio.*

(a) *Part. II. Tit. II. art. II. in fin.*

(b) *pralaudat. GASSER d. l.*

(c) *G. L. BOEHMER in cit. disp. §. VII. Mev. in allegat. Comm. Lib. I. Tit. 5. art. 5. nr. 3. seq. et ad art. 7. nr. 81. ZERRAN d. l. §. 16 & 44. RICCIUS d. l. sub voce legitima. de NETTELBLADT cit. loco pluresque alii ab his alleg. DD.*

(d) *vid. VOGT in disp. de Communione banorum inter conjuges ejusque effectu præsertim fecundum jura Lubecensis §. XII.*

(e) *in alleg. dissert. §. XLI. ibique cit. SANDE.*

§. LVIII.

Coincidit Constitutio Cliviensis de ao. 1686. die 4, Nov. in qua hæc faneita: Wann einige angehende Eheleute die von uns gnädigst stattuirte communionem honorum excludiren wollen, so sollen sie solches nicht allein in partis antenuptialibus ausdrücklich exprimiren und sezen, sondern es daneben auch, wenn Sie mit Kaufhandlungen umgehen solten, dem Gericht oder respective Stadt-Magistrat, zu dem Ende zu erkennen geben damit es dem Protocollo inseriret, und diejenigen, so mit solchen Eheleuten handeln oder contrahiren, sich darnach zu richten haben mögen, mit der

der ausdrücklichen Verwahrung, wenn solches nicht geschiehet daß alsdann die Communio nicht pro exclusa gehalten seyn solle (a). Quæ quidem constitutio ad præsentem materiam haud applicanda esse videtur, quippe cum primo tantum loquatur de conjugibus matrimonium ineuntibus et secundo de iis, qui mercaturam exercent. Ast enim vero, quum ratio in hac constitutione adducta quoque ad eos, qui celebratis jam nuptiis in tali loco, ubi communio bonorum conjugalis obtinet, domicilium figunt, applicari queat, et locum inveniat sive conjuges mercaturam exerceant sive alio vitæ genere utantur, omnia ea quoque in hisce casibus pro fundamento ponenda sunt, nisi in legibus et statutis particularibus aliud specialiter fuerit cautum.

(a) *leg. constitut. in dem allgemeinen Juristischen Oraculo Tom. VII. P. II. Cap. III. Consil. CLXI. p. 812.*

§. LIXII.

Necessitas promulgationis eo minus in dubium vocari potest, cum notum sit quod simul alii actiones suas ad quandam normam conformare debent, statim necessaria sit promulgatio (a), renunciatio communionis bonorum autem illud involvat, ut renuncians ab onere æris alieni intuitu suorum bonorum ei alias vi legis obnoxiorum liberetur, siveque propositionem contineat, ad eirius normam aliorum actiones instituendæ (b): id quod quoque verba in Constitutione Cliviensi obvia: vamit diejenigen, so mit solchen Ehelute handeln oder contrahiren sich darnach zu richten haben: docent ac comprobant.

H 3

Prin-



Principia igitur juris universalis quoque assertionem meam confirmant.

(a) **CASPAR ZIEGLER** *de juribus majestatis Lib. I. Cap. V.
§. LXXVII. p. 158.*

(b) *confer. illustr. JOH. JACOB MOSER im Staats-Rechte
Tom. III. p. 160. §. 145. et Tom. XXIV. §. 20. nr. 4. p. 184.*

§. LX.

Accedit illud, quod communio bonorum conjugalis ejusque effectus ratione communicationis æris alieni potissimum pro fundamento habeant utilitatem publicam et favorem commerciorum, id quod verba præfationis juris Lubecensis revisi extra dubium ponunt, quippe cum ita sonent: Es sind dieser Statuten rationes vornehmlich dāhero genommen, weil diese Stadt Lübeck auf Handel und Wandel gewidmet ist, dabey Treu und Glauben seyn muß, und viel besser sey, daß Privat Personen sonderlich aber die Frauen an ihrem Gute und Patrimonio etwas Schaden leyden, denn daß der Glaube im Kaufhändel geschwächet. Renunciatio vero de iis est invalida, quæ utilitatem publicam lèdunt, prouti pluribus demonstravit BRÜCKNERUS (a), Privata igitur autoritate communioni bonorum ejusque effectibus regulariter renunciari nequit (b).

(a) *in disput. de renunciatione invalida.*

(b) *confer. sæpe laud. MANTZEL in diff. de præstantia juris Lubecensis qua augendam civium fidem et in disp. de ratione status juris Lubecensis.*

§. LXI.



§. LXI.

Hæc omnia in Megapoli eo minori dubio sunt subiecta, cum in §pho 371. des Landes Grundgesetzlichen-Erb-Bergleichs dispositum reperiatur: Anben die Ehefrauen wegen ihrer Illatorum ihre Forderungen in die Stadtpfandbücher eintragen zu lassen gehalten seyn sollen: quippe quæ verba ea, quæ in §pho LVIII. commemoravi, satis superque confirmant.

§. LXII.

Quæ cum ita sint, quam luculentissime constat, quod effectus communicationis æris alieni in novo domicilio haud valide impediri queat, nisi protestatio vel reservatio uno altero modo fuerit publicata. Longe aliter vero decisionem esse formandam, si quidem in alio loco domicilium fuerit constitutum sed antiquius quoque recentum pluribus docet *perillustris de NETTELBLADT* (a).

(a) *in cit. disp. Cap. III. §. XVII.*

§. LXIII.

Sufficient hæc, præsertim cum ex illis reliqua facile dijudicari queant, Ab initio quidem constitueram hanc materiam plenius adhuc pertractare. Sed iter bibliopolæ ad nundinas solenniores Lipsienses instat et finem urget.

S. D. G.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1002510848/phys_0069](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002510848/phys_0069)


DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1002510848/phys_0071](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002510848/phys_0071)

DFG





tut. in dem allgemeinen Juristischen Oracu-
VII. P. II. Cap. III. Consul. CLXI. p. 812.

S. LIXII.

as promulgationis eo minus in dubium vo-
num notum sit quod simul alii actiones suas
normam conformare debent, statim nece-
ssulatio (a), renunciatio communionis bo-
nū illud involvat, ut renuncians ab onere
tituit suorum bonorum ei alias vi legis ob-
eretur, sive propositionem contineat, ad
maliorum actiones instituendae (b): id quod
a in Constitutione Cliviensi obvia: namit
mit solchen Ehreute handelt oder contrahiren
zu richten haben: docent ac comprobant.

H 3

Prin-